

Si autem justa subsit causa, ut impotentia physica vel moralis, confessio sacramentaliter fieri potest scripto, nutu vel altero signo : sic, qui gravem habet difficultatem loquendi, peccata scribere potest, eaque confessario hac via manifestare.

Nutibus vel scripto confiteri possunt surdi-muti recte instituti; nullum est dubium quin præceptum, tum divinum, tum ecclesiasticum, eos obstringat, modo peccata sufficienter exprimere valeant, et probabile non sit periculum revelationis. Constat ex dictis confessionem occultorum essentialiter esse secretam, ac proinde neminem, si casus mortis excipiatur, in quo omne dubium, si fieri possit, amovendum est, ad confessionem per interpretem aut cum probabili periculo revelationis teneri; an vero teneantur confiteri scripto, si aliter facere non possint, non conveniunt auctores : quidam negant, asserentes quoddam periculum revelationis semper existere : at cæteri, persuasum habentes tale periculum tolli posse, affirmant, hocque nobis probabilius videtur.

Nunc difficultas est an confessio sacramentalis confessario absenti per litteras fieri possit. Si sola attendatur scriptura, id repugnare non videtur, etenim quid impediret ne peccata per litteras sufficienter aperirentur, dolor requisitus manifestaretur, et sententiæ absolutionis impertiretur? Sic matrimonium inter absentes per procuratores valide initur. Ergo.

Verum traditione constat sacramentum Pœnitentiæ a Christo ita fuisse institutum, ut inter absentes valide administrari non possit; si enim per litteras aut nuntium valide administrari posset, aliquod vestigium hujusmodi administrationis in decursu Historiæ ecclesiasticæ reperiretur : atqui nullum istiusmodi vestigium reperitur; imo contrarium diversis testimoniis adstruitur : unde Conc. Trid., sess. 14, cap. 2, declarat Christum voluisse omnes aliquo crimine inquinatos, *ante hoc tribunal tanquam reos sisti*, quod præsentiam personalem supponit; et idcirco Clemens VIII, die 20 junii anni 1602, sequentem propositionem proscripsit, ad minus ut falsam, temerariam et

scandalosam : « Licet per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absenti absolutionem obtinere. »

Quædam tamen citantur facta absolutionis per litteras concessæ; sed tunc de absolutione censurarum, non vero de absolutione sacramentali agebatur : sic Alexander III S. Thomam Cantuariensem episcopum a præsumptis censuris absolvit, eum pro peccatis ad sacerdotem discretum et providum remittens.

Queritur an qui timet ne peccatum mortale e memoria excidat, illud scribere teneatur.

R. 1º Certum est eum qui scribere nescit aut impeditus est, non teneri ministerio alterius uti ad scribendum peccatum, quia tunc fieret revelatio ad quam obligari non potest. 2º Nec illud propria manu scribere tenetur, juxta probabiliorum sententiam, propter periculum ne scriptum alienis oculis subjiciatur, et quia nemo tantam diligentiam ad procurandam integritatem materialem adhibere tenetur. Ita *Billuart*, et plurimi apud ipsum, contra *Vasquez*.

CAPUT QUINTUM.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio generatim est solutio debiti; prout hic specialiter sumitur, *est solutio debiti ex peccato erga Deum contracti*. Alia est divina, qua scilicet Christus, Deus et homo, pro nobis effusione sanguinis satisfecit; alia vero est humana, cujus valor ex satisfactione Christi derivatur, juxta hæc Concilii Trid. verba, sess. 14, cap. 8 : « In quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes » fructus dignos pœnitentiæ. »

De satisfactione Christi hic directe non agitur, bene vero de sola satisfactione humana quæ definiri potest : *Voluntaria pœnæ toleratio, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam*. Si a confessario in ordine ad sacramentum injungatur et voluntarie acceptetur, dicitur sa-

cramentalis, et tunc vel sacramentum antecedit et ad illud disponit, ac solum de congruo est meritoria; vel sacramentum sequitur, et gratiam sacramentalem supponens, meritoria est de condigno.

Necessitatem satisfactionis humanæ prorsus negant Lutherani ac Calvinistæ et generatim Protestantes, rati eam satisfactioni Christi derogare et injuriosam esse, contenduntque, remissa culpa, nullam superesse pœnam in hac aut in altera vita luendam; unde tollunt purgatorium, indulgentias et suffragia pro mortuis, et laboriosa pœnitentiæ opera non admittunt nisi ad exemplum, ad reparandum scandalum et ad comprobandos mores. Nobis igitur agendum est 1° de necessitate satisfactionis quæ vulgo dicitur *pœnitentia*; 2° de ejus quantitate et qualitate; 3° de obligatione illam acceptandi et adimplendi; et 4° de illius commutatione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE SATISFACTIONIS SEU PŒNITENTIÆ.

1° Statuendum est, remissa culpa, non semper omnem remitti pœnam; 2° pœnam remisso peccato superstitem, pœnitentiæ operibus deleri posse; 3° hominem pro illa pœna satisfacere teneri, et 4° pœnitentiæ sacramentalem a confessario injungendam esse: quod per sequentes propositiones ostenturi sumus.

PROPOSITIO PRIMA.

Remissa culpa, non semper remittitur, sed ordinarie remanet pœna temporalis luenda.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, sanctorum Patrum testimoniis et rationibus theologicis.

1° *Est de fide*, ut pote definita in Conc. Trid., sess. 14, can. 12: « Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa » remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium » non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit. »

2° *Probatur Scriptura sacra.* 1° Adamus peccati sui remissionem obtinuit, ex libro Sapientiæ x, 2; attamen, juxta comminationem Dei, in vindictam delicti sui mortuus est. 2° Cum populus Israeliticus adversus Moysen et Aaron murmurasset in deserto, iratus Dominus declarat se gravissima ei inflicturum mala: Moyses suppliciter orat, et ait Dominus, Num. xiv, 20: *Dimisi juxta verbum tuum*, et tamen pronuntiat omnes in ultionem delicti, exceptis Caleb et Josue, morituros esse in deserto. 3° Moysen et Aaron Deum quadam diffidentia offenderunt ad petram Contradictionis, bis silicem percutiendo: igitur honore populum sanctum in terram Chanaan introducendi privati sunt, Num. xx, 12. 4° David duplex et enorme admiserat peccatum, adulterium scilicet et homicidium: dolore tactus, dixit: *Peccavi Domino*. Respondit ei Propheta, II Reg. xii, 13: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Sed addidit: *Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur*. Non autem ad incitamentum virtutis aut ad monitionem delicti in posterum vitandi hæc aliæque pœnæ supra relatæ infliguntur, ut immerito ait Calvinus, cum expresse dicatur eas in ultionem præteritorum delictorum inferri. Ergo.

3° *SS. Patrum testimoniis.* S. Aug. in Psal. l: « Im- » punita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non reli- » quisti.... ignoscis confitenti, sed seipsum punienti. » S. Greg. Magnus, lib. 2 Moralium, cap. 34: « Delinquenti » Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione » non deserit: aut enim hoc homo in se pœnitens punit, » aut hoc Deus cum homine vindicans, erudit.... Sic Da- » vid post confessionem audire meruit: *Dominus transtulit » peccatum tuum*; et tamen multis post cruciatibus afflic- » tus ac fugiens, reatum culpæ quam perpetraverat ex- » solvit. » Fere omnes sancti Patres eodem sensu locuti sunt, ut ipse agnoscit Calvinus, dicens, Inst. l. 3, cap. 4, n. 38: « Omnes fere quorum libri exstant, aut in hac » parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos. » Ergo.

4^o *Rationibus theologicis.* 1^o Semper in Ecclesia Dei persuasum fuit existere purgatorium, *ut infra monstrabimus*, et pro mortuis orandum esse : at utrumque dogma evidenter supponit pœnam temporalem culpæ remissæ ordinariæ superesse. 2^o Constat Historia ecclesiastica et plurimis conciliorum canonibus, ut Nicæni I, can. 12, Carthag. IV, can. 78, Arausici I, can. 4, pœnas satisfactorias pœnitentibus semper impositas fuisse post absolutionem faciendas aut continuandas. Ergo.

Dicimus autem pœnam temporalem ordinariæ superesse, quia non negamus contritionem charitate perfectam adeo nonnunquam posse vehementem esse, ut cum reatu culpæ omnem deleat pœnam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Deus testatur in Scripturis se iniquitatem impij ad justitiam conversi non recordaturum, Jerem. XVIII, 22 ; dicit Propheta illum *peccata post tergum projecturum*, etc. At si, dimissa culpa, adhuc remaneret pœna temporalis luenda, Deus iniquitatem recordaretur, peccata post tergum non projiceret : ergo.

R. Distinguo ant. Deus testatur, etc. ; vel quando plena est justificatio, etiam quoad pœnam temporalem, per contritionem charitate perfectam et vehementem, vel quia remissa pœna æterna cum culpa, pro nihilo reputanda est pœna temporalis, *concedo* ; secus, *nego ant.* Etenim quandoque accidit, ut notavimus, omnem pœnam simul cum culpa remitti, et tunc nulla est recordatio iniquitatis apud Deum, et aliunde adeo levis est pœna temporalis respectu æternæ, ut recte dici queat Deum iniquitatis non recordari. Ergo.

Inst. 1^o. Deus *gratis nos justificat*, Rom. III, 24 : atqui nos gratis non justificaret, si pœnam a nobis exigeret : ergo.

R. Nego min. Ille enim gratis nos justificat, qui per gratiam suam, et sine ullo ex parte nostra merito, pœnam æternam cum culpa remittit, et insuper gratis nobis do-

nat unde pro pœna temporali satisfacere valeamus : atqui ita se gerit Christus erga nos : ergo.

Inst. 2^o. Deus non dimidiat, sed perfecte condonat : ergo post condonationem, nullam pœnam exigere potest.

R. Nego conseq. Deus quippe non dimidiat condonat quoad pœnæ æternæ remissionem et gratiæ sanctificantis restitutionem ; peccator enim ex inimico ejus fit amicus : at non sequitur nullam ordinariæ remanere pœnam in hac vel in altera vita luendam. Deus quidem statuere potuisset ut in Pœnitentia sicut in Baptismate omnis pœna simul cum culpa semper remitteretur : sed non ita fecit, quia ratio divinæ justitiæ exigere videbatur ut, qui ante Baptismum per ignorantiam peccaverant, et qui post Baptismum *templum Dei violare et Spiritum sanctum contristare non formidaverint*, Concil. Trid., sess. 14, cap. 8, non eodem modo in gratiam reciperentur. Ergo.

Inst. 3^o. Peccata comparantur debitis : atqui debita non perfecte condonarentur, si quid adhuc a debitore exigere-
tur : ergo.

R. Dist. min. Debita non perfecte condonarentur, si quid proportionatum debitis vel aliqua pars debiti exigere-
tur, *concedo* ; si vero quod exigitur nullam habeat proportionem cum debito, et respectu illius nullius sit valoris, *nego min.* Porro pœna temporalis quæ a peccatore exigitur, nullius est valoris respectu pœnæ æternæ : ergo.

Inst. 4^o. Quotidie dicimus in Oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* : at nihil exigere possumus ab iis quibus sua dimissimus debita ; ergo *a pari*, etc.

R. 1^o. *Nego min.* Ibi namque de offensis agitur, non de justitiæ commutativæ debitis : atqui certe non repugnat offensos nolle remittere offensam, nisi sub conditione alijus compensationis : ergo.

R. 2^o. *Nego conseq.* Inde enim sequeretur ad summum nos plenam remissionem pœnæ a Deo precari posse, dum ipse jubere posset ut debitoribus nostris perfecte condonaremus, et simul pœnam temporalem a nobis exigere, etenim vices ejus et vices nostræ non æquiparari debent. Ergo.

Obj. 2^o. Christus superabunde pro peccatis nostris etiam quoad pœnam satisfecit: ergo nihil relinquitur a nobis solvendum.

R. Dist. ant. Christus superabunde satisfecit quoad pretium, *conc.*; quoad applicationem, *nego ant.* Etenim nulum est dubium quin Christus ultra modum satisfecerit quoad pretium, *pro peccatis nostris et pro totius mundi*; verum in sua sapientia statuit ut ipsius satisfactiones sub aliquibus tantum conditionibus applicarentur: inter illas autem conditiones voluit ut, etiam dimissa culpa, quædam ordinariè exsolveretur pœna: unde B. Paulus, licet de superabundantia satisfactionum Christi ratus, aiebat: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*, Coloss. 1, 24.

PROPOSITIO SECUNDA.

Homo pœnam temporalem peccato remisso debitam operibus satisfactoriis redimere potest.

Prob. Hæc propositio admitteada est quæ est de fide, et insuper probatur ex Scriptura sacra et ex SS. Patribus: atqui talis est præsens nostra propositio.

1^o *Est de fide*; sic enim definita fuit in Conc. Trid., sess. 14, can. 13: « Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed nec sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus..... anathema sit. »

2^o *Probatur ex Scriptura sacra.* Jer. xxiii, 7: *Repente loquar adversum gentem, et adversum regnum, ut eradicem et destruar, et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam: agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Sic Propheta alloquitur Nabuchodonosor, Dan. iv, 24: *Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Unde sic: Malum a Deo intentum pœnitentia averti potest, et iniquitates operibus misericordiæ redimi

possunt: porro talis compensatio talisque redemptio vera est satisfactio. Si autem de peccatis nondum remissis hic agatur, *a fortiori* pœna temporalis remisso peccato debita redimi vel compensari potest. Ergo.

3^o *Ex SS. Patribus.* Tert., lib. de Pœnitentia, cap. 6: « Quam porro ineptum, quam iniquum pœnitentiam non adimplere et veniam delictorum sustinere! hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum non emittere. »
S. Cyprian., lib. de Lapsis: « Conniteantur singuli..... dum satisfactio apud Dominum grata est. »
S. Ambrosius, in Lucam, l. 4, cap. 12: « Sicut qui pœniam solvunt, debitum reddunt....., sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione ne quacumque, peccati pœna dissolvitur. » Porro hæc testimonia de satisfactione evidenter intelliguntur. Ergo.

Quæritur an homo pro pœna temporali de condigno satisfacere possit.

R. Certum est hominem in statu peccati mortalis constitutum, de condigno satisfacere non posse, nullius quippe meriti proprie dicti capax est coram Deo. Sed homo justificatus satisfacere potest de condigno: enim vero concilia et sancti Patres eodem loco loquuntur de satisfactione pro pœna temporali ac de merito vitæ æternæ: atqui homo justificatus vitam æternam de condigno mereri potest: ergo et remissionem pœnæ. Unde summi pontifices Pius V et Gregorius XIII sequentem propositionem *Baii* condemnarunt: « Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum. »

Ut opus sit satisfactorium quædam requiruntur conditiones, nempe, 1^o ex parte hominis, ut sit in statu gratiæ; id constat ex Concil. Trid., sess. 14, cap. 8: « Omnino gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus. » Constat etiam ratione quæ satis aperte dicit hominem Dei inimicum jus proprie dictum erga ipsum acquirere non posse.

Recte tamen notant auctores opera in statu peccati mortalis patrata non esse quidem satisfactoria de condigno,

sed aliquatenus de congruo : hoc enim supponit praxis confessoriorum satisfactiones ante absolutionem adimplendas iniungentium, et ipsius Ecclesiæ olim gravissimas præscribentis satisfactiones etiam publicas quibus adstringebantur pœnitentes antequam reconciliarentur.

1° Ex parte operis requiritur, 1° ut sit liberum, saltem aliquo modo, quia debet esse actus virtutis; 2° ut sit bonum: hoc per se patet; 3° ut sit supernaturale ratione tum principii, tum motivi; alioquin fini suo non esset proportionatum; 4° ut sit pœnale, ut infra explicaturi sumus.

2° Ex parte Dei requiritur promissio remissionis pœnæ et acceptatio operis; nam quælibet opera nostra debitis nostris non sunt proportionata, et aliunde Deus ea exigere potuisset aliis titulis: constat ex dictis Deum sic erga nos misericorditer egisse.

PROPOSITIO TERTIA.

Homo pro pœna temporali satisfacere tenetur.

Prob. 1° Scriptura sacra. Joel II, 12: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu; Matt. III, 8, et Luc III, 8: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ; Act. XXVI, 20: Et gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes; Luc XIII, 5: Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis, ait Christus: fructus autem pœnitentiæ, opera pœnitentiæ et pœnitentia simpliciter, in consueti loquendi modo Scripturæ, sunt opera satisfactoria. Ergo.

Prob. 2° ex SS. Patribus, videlicet ex textibus jam a nobis allatis, et insuper S. Cypr. de Lapsis: « Quam » magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vul- » neri diligens et longa medicina non desit; pœnitentia cri- » mine non minor sit... Orare oportet impensius et rogare, » diem luctu transigere, vigiliis et fletibus noctes ducere, » tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, » stratos solo adhærere, in cinere, et cilicio et sordibus » volutari..... »

S. Aug., Sermone 351: « Non sufficit mores in melius » commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his » quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per » humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, » cooperantibus eleemosynis. » Nihil clarius desiderari potest. Ergo.

Prob. 3° usu et praxi Ecclesiæ. Semper et ubique usus fuit in Ecclesia ut peccatores a vinculo delictorum non absolventur, nisi præcessisset aut saltem subsecutura esset congrua satisfactio: factum istud adstruunt Canones pœnitentiales, libri rituales et tota Historia ecclesiastica. Ergo.

Hæc autem, cum generalia sint, et de peccatis in genere pronuntiata, ad pœnam pro reparando scandalo peccatorum publicorum injunctam vel injungendam restringi non debent.

Emolumenta satisfactionis sic describit Conc. Trid., sess. 14, cap. 8: « Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæc satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in ecclesia Dei unquam æstimata fuit ad amovendam imminuentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis sufficientia nostra est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est. »

PROPOSITIO QUARTA.

Confessarius satisfactionem seu pœnitentiam peccatis proportionatam regulariter imponere tenetur.

Prob. 1^o praxi Ecclesiæ quæ semper jussit ut peccatores sine convenienti pœnitentia ipsis injuncta non reconciliarentur. Innumera citari possent testimonia et Patrum et conciliorum. Ergo.

Prob. 2^o Conc. Trid., sess. 14, cap. 8 : « Debent ergo » sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggererit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, » ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum » pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. » Ergo.

Prob. 3^o ratione theologica. Satisfactio est pars sacramenti integralis, ut idem Conc. Trid. docet, cap. 3, ejusdem sessionis : at confessarius tenetur sub gravi procurare ut sacramentum non sit mutilum : ergo.

Quoniam, ex dictis, satisfactio in re non est de essentia sacramenti, sed tantum ad illius integritatem pertinet, inde sequitur illam esse necessariam duntaxat necessitate præcepti, a quo igitur gravis causa eximere potest. Propterea diximus in propositione, *regulariter tenetur*; fieri ergo potest ut levissima vel nulla injungenda sit pœnitentia, v. g., moribundo cui sufficit præscribere aliquos actus fidei, spei, charitatis, contritionis, breves quasdam orationes, prolationem SS. nominum Jesu et Mariæ, etc. Si mors statim non imminet, aliquid gravius, secundum prudentiam, injungi potest ægroto per ipsum aut per alium faciendum, ut elemosyna; et si detur spes recuperandæ sanitatis, conveniens injungenda est pœnitentia conditionata, post morbum implenda.

Queritur an confessarius teneatur sub gravi injungere pœnitentiam pro venialibus aut gravibus jam remissis, supposito quod absolutionem concedat.

R. Quidam, cum cardinali de Lugo, docent nullam injungere pœnitentiam in his casibus esse duntaxat peccatum veniale : 1^o quia levis est injuria sacramenti; 2^o quia non major est obligatio satisfactionem imponendi quam eam implendi : at ubi levis est pœnitentia, levis est obligatio eam implendi : ergo et eam injungendi. Verum alii communius tenent sacerdotem mortaliter peccare, nisi ex inadvertentia excusetur; nam mutilatio voluntaria sacramenti grave est objectum. Unde dicunt pœnitentem teneri sub gravi habere propositum, dum absolvitur, pœnitentiam sibi injunctam vel injungendam adimplendi, sicque ruit ratio allata a card. de Lugo. Ita Suarez, Collet, Antoine, Billuart, de Pœnit., etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE QUANTITATE ET QUALITATE PœNITENTIÆ A CONFESSARIO INJUNGENDÆ.

Notandum est 1^o pœnam singulis peccatis remissis debitam a Deo taxari, et instanti justificationis determinatam esse; in decretis enim Dei fundatur, et dispositionibus pœnitentis proportionata est; Deus autem hæc omnia noscitur ergo.

Notandum est 2^o nos ignorare quam proportionem satisfactiones humanæ habeant cum pœna temporali lueda, ac proinde nescire quid opera laboriosa in satisfactionem oblata de illa pœna coram Deo deleant : hoc soli Deo notum est.

Notandum est 3^o Ecclesiam olim per Canones pœnitentiales determinasse, saltem quoad tempus, quid pro singulis delictis injungendum esset; nec tamen ideo definiisse quantitatem pœnæ peccato debitæ quæ his satisfactionibus deleatur.

Varii diversis temporibus conditi sunt canones pœnas injungendas decernentes, quorum alii sunt severiores et alii mitiores. Legi possunt in fine Decreti Gratiani, apud *Natalem Alexandrum, Antoine, Collet, Billuart, de Pœnitentia, etc.*

His notatis, 1^o præcipuos referemus Canones pœnitentiales; 2^o qualis pœnitentia nunc injungenda sit assignabimus; 3^o de qualitate operum injungendorum aliquid subjungemus.

§ I. — Præcipui Canones pœnitentiales per ordinem præceptorum Decalogi.

1^o Qui fidem catholicam deseruerit, pœnitentiam aget decem annis.

2^o Qui diabolicas incantationes fecerit, pœnitens erit annos septem.

3^o Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos quinque.

4^o Si quis clericus vel monachus, postquam Deo se voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane et in aqua.

5^o Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia.

6^o Si quis per capillum Dei aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua et pane septem dies victitet; si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

7^o Si quis Deum, vel B. Mariam, vel aliquem sanctorum publice blasphemaverit, præ foribus ecclesiæ diebus dominicis septem in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejundet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus.

8^o Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

9^o Qui opus aliquod servile die dominico festivo fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua.

10^o Si quis ante ecclesias, vel die festo, saltationes fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget tribus annis.

11^o Si quis pransus missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane et aqua.

12^o Si quis in ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane et aqua.

13^o Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

14^o Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua; qui injuria affecerit, tres annos; qui percusserit, annos septem.

15^o Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

16^o Si quis sponte hominem occiderit, ad januam ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet. Si casu necaverit, pœnitentiam aget annos septem.

17^o Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

18^o Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua; clericus, unius anni et mensium sex.

19^o Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres.

20^o Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque. Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali.

21^o Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spirituales violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

22^o Qui incestum fecerit (*non ita enorme*), pœnitens erit duodecim annis.

Alii canones septem, alii decem, alii quindecim annorum pœnitentiam constituunt.

23^o Qui monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

24^o Si mulier cerussa aliove pigmento se oblitit ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur trium annorum.

Aliis peccatis contra castitatem diversæ assignabuntur pœnitentiæ, pro qualitate criminis.

25^o Qui furatus est aliquid de suppellectili vel thesauro ecclesiæ, tres quadragesimas cum septem sequentibus annis pœnitebit.